



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

XXXVIII. Nicolai Damasceni,

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

ejus opus in epitomen contraxit Justinus, Antonini Pii temporibus. Paucis ille complexus est gesta Mosis, at ea tamen aliquot fabulis inquinavit, ut fere Auctores illi, & ætate & spatio locorum à Mose & Judæa discreti, proptereaque Judaicarum rerum fati rudes. Quæcunque tamen affert Trogius, utcunque adulterata, ex Mosæicis tamen adytis depròmta esse liquet. Notabile imprimis est, quod Judæis Sacerdotibus justitiae religione temperata testimonium præbet.

XXXVIII. Herodis & Augusti familiaritate floruit Nicolaus Damascenus, auctor Historiæ universalis: qui cum & Syrus esset, & Herodis Judæorum regis amicus, res profecto Judaicas ignorare non potuit. Ex hac ergo ipsius Historiæ narrationibus suis confirmandis testimonia quædam affert Josephus. Celebratissimum illud est, quo Mosis Judæorum legislatoris libros citat. In eo de Arca Noachi agens, & Armeniæ monte ad quem appulit, vocari ait montem hunc, *Cæcidæ*. Ab Arca ipsa ita dictum vere existimabat Scaliger: naves enim, *Cæcidæ*, appellabantur, cujus vocis originem, vulgo ignorabilem, docuit me Æschyli Scholiastes. Is ad hæc Æschyli verba: *Ἐπέρις ἢ πύργος ἢ πύργος ἢ πύργος ἢ πύργος*, sic disserit: *ὁ Ἐπέρις ἢ πύργος τὰ κρητὰ ἰσχυροῦσι ἐπέρις, & ἐπανάστει τὰς Cæcidæσι ναυαί, τὰς δὲ τὸ ἑκάστου ἕστις, ἢ τὸς ἑστὶ πάλαι περὶ τὸς, & ἢς & αἰ νῆες Cæcidæ: Xerxes autem mala videlicet omnia appetiit, & attraxit navibus Baridibus, Bari profectis, quæ Persiæ urbs est, ex qua & naves Barides dicte. A Persis transit ea vox ad Ionas, ut intelligitur ex Corinthi libro de dialectis: hinc ad Græcos & Latinos. Sed hæc obiter.*

XXXIX. Hoc ævo vixisse videtur Ptolemæus Mendesium, qui res Ægyptias tribus libris complexus est. Minime ille quidem Judæorum præeunte Mose exitum ex Ægypto prætermisit, quem ad Amosios regis Ægypti tempus retulit. Verba ipsius representavit Apion, ex Apione Clemens Alexandrinus. Meminerunt eorundem Justinus in Parænesi, Tatianus, Africanus apud Eusebium, & Cyrillus.

XL. Huic subjiciemus Strabonem, virum pretii quantivis, qui de Mose & Judæis summo candore disseruit. Scribit enim profanos Ægyptiorum mores exosum Mosem, collecta ingenti piorum hominum multitudine concessisse in Judæam, illicque fixis sedibus, & sanctis Dei colendi ritibus institutis, abjectoque potissimum & ejurato idolorum cultu, non tam vi & armis, quam pietate imperium confirmasse: verum in pejus deinde vergentibus Judæorum animis, puram religionem superstitionibus fuisse labefactam, & quæsitum sanctitate ac integritate vitæ imperium gentem nefariam tyrannide & latrocinii auxisse. Falsa quidem veris nonnulla admiscet, sed viro *φιλολάτῳ*, ac res ab aliis sibi traditas ingenue referenti condonanda.

XLI. Quæ à Ptolemæo Mendeseo acceperat, non retulit modo Apion Grammaticus, sed suo etiam assensu comprobavit, pessime licet erga Judæam gentem affectus, quam & scriptis suis proscidit. Mosem igitur Judæis Ægyptum fugientibus prævisse fatetur, cum Argis Inachus, Amosis in Ægypto regnaret. Itaque eum in testimonium adducit Justinus, adducunt & Tatianus, & Africanus apud Eusebium. Verba ipsa exhibet Clemens Alexandrinus. Verum longe plura affert Josephus ex libris Grammatici hujus, qui sincerum licet veritatis vas incrustare tentet, Mosis tamen res gestas mirifice confirmat.

XLII. Huc conferendi, Philo Judæus Apionis hujus æqualis, qui eruditissimis lucubrationibus Mosem illustravit; Flavius Josephus Judaicarum Antiquitatum vernaculus vindex, qui Vespasiani ac Titi præcipue temporibus enituit; & Justus Tiberien- sis Josephi *ὁμήλειξ* & adversarius, qui Chronicon regum Judæorum scripsit, & à Mose auspiciatus est.

XLIII. Cuinam vero potissimum ætati tribuendi sint Auctores apocryphorum librorum Esdræ, tertii, & quarti; item tertii Machabæorum, incertum est: neque vero hæc est præsentis loci tractatio. Constet modo expressas in iis Mosæici operis notas extare.

XLIV. Arcano Mosis volumine Judaicum jus contineri, atque à Judæis edisci, servari, & metui, scriptum reliquit Juvenalis.

XLV. Columba è Deucalionis arca ad explorandam tempestatem emissæ meminuit Plutarchus. Atque id quidem vel à Mose sumit ipse, vel quod potius existimaverim, ab aliis qui à Mose sumserant. Quanquam ex sacris Libris suos ipsum, & Plotinum, & Numenium, & alios complures, exornasse vult Theodoretus. Quæcunque certe de Typhone narrat in libro De Iside & Osiride, ad Mosem pertinere, & nos dicemus infra, & alii demonstrarunt: velut cum ait Typhonem asino vectum per dies septem fugisse, & liberis demum Hierosolymum & Judæam genuisse. Quippe legitur in Exodo: *Tulit Moyses uxorem suam, & filios suos, & imposuit eos super asinum.* Post sex dierum fugam, septimo conquevisse Mosem fabulantur Trogius & Apion.

peii, & Ju-  
stini.

Nicolas Da-  
masceni.

Scalig. ad  
Fragm.  
Æschyl. Pers.  
v. 522.

Ptolemæi  
Mendesi.  
Clem. Strom. 1.  
Euf. Præp. libr.  
10. cap. 10.  
Cyr. in Jul. 1. 1.

Strabonis,  
Strab. libr. 16.

Apionis.

Justin. Parænes.  
Euf. Præp. libr.  
10. cap. 10.  
Clem. Strom. 1.  
Jof. 1. 2. in. Ap.

Philonis, Jo-  
sephi, & Justus  
Tiberien-  
sis.

Auctorum li-  
bri tertii &  
quarti Esdræ,  
& tertii Ma-  
chabæorum.

Juvenalis,  
Juven. Sat. 14.

Plutarchi,  
Plutarch. libr.  
Terr. an aquat.  
anim. callid.

Theodoret. De  
curand. Græc.  
affect. Serm. 2.

Exod. 4. 20.  
Justin. 1. 36. c. 2.  
Jof. 1. 2. in. Ap.